

CASUS CONSCIENTIAE

B1240

DE MANDATO
MINUTISSIMI ET REVERENDI D.D.

tit. & crucis in Hierusalem s. p. pres. car.

PROSPERI TAMESTRINI

BONONIE ARCHIPI. AC S. R. I. PRINCIPIS.

DEINDE SS. DOMINI NOSTRI PATER

BENEDICTI XIA

PROPOSITI, ATQUE RESOLUTI

AC UP INNOCENTIS MUNDI LAMPADIS

Obis Confessariis omnibus si dñe diuinisimam culturam
Belieutipus beluisse ac necessarium.

Qui invenimus quod in ea, ut habeat tantum, dñe in illis
Capitulo iustitiam.

SECUINDA EDICIO HISPANICA



FONDO BIBLIOTECALIS
PUBERICA
DEL
O LEON

135922 MINTIT: Aida Alquem Bissi spesches. Anno

3919

Pag. 1



ANNO MDCCXXXII.

MENSE JANUARII.

CAS.I.



Arochus parum studiorum amans, & nesciens quid agere debet primis horis nocturnis, frequentat domum cuiusdam Parochiani, in qua coram pluribus instituit sermones scurriles. Quæritur, an graviter peccet, & in quo speciebus?

Respondeo ad primam quæsti partem, Parochum, attenta præcise scurrilitate sermonum, per se peccare solum venialiter. Ratio est, quia scurrilas per se loquendo, sive in verbis, sive in gestibus sita sit, dicit semper aliquam in honestatem, sicque per se semper importat culpam venialem; ergo attenta præcise scurrilitate verborum, peccabit venialiter. Ita Lacroix, Escobar, &c. Duxi atten-
ta præcise scurrilitate verborum, quia si per exiguum amorem erga studium redderetur Parochus ad sua ministeria obenanda insufficiens, clarum est peccare lethaliter. Duxi etiam per se, quia per accidens poterit mortaliter peccare, ut ex responsione ad secundam p. quæsti.

Respondeo ad secundam part. Parochum peccare peccato scandali, & contra illam virtutem, cui scurrilia opponuntur. Ratio est, quia cum Parochus teneatur pascere populum exemplo, & sit lux super candelabrum posita, scurrilia proferendo coram Parochianis, idem est, ac illos ad talia, vel similia allicere, & invitare, in quo consistit scandali malitia, & proxima occasio ruinae spiritualis proximi. Hoc peccatum scandali mortale erit, si Parochiani ex prolatione scurrilum occasionem sumant mortaliter peccandi, ut docent DD. de verbo joso prolatu à religioso coram sceminiis, quæ inde occasionem mortalis peccati sumere possint, quod facile evenire posset in Parocco, tum attenta obligatione pascendi populum exemplo, tum quia nugæ in ore sæcularium, blasphemiae sunt in ore Sacerdotum, ait S. Bernardus. Veniale vero peccatum erit, si Parochianis occasio ruinae venialis tantum præbeatur. Ultra peccatum scandali peccaret contra castitatem Deo promissam, si verba scurrilia fierent causa delectationis venereæ, & sic semper esset mortale; peccaret contra justitiam si scurrilas proximi famam denigraret, vel venialiter, vel mortaliter, atten-
ta qualitate materiæ, & sic discurrendo de aliis materiis; circa quas scur-

scurrilas versaretur. Hæc communia sunt apud omnes.

202.11

CAS. II. Capellanus ~~pas~~ habens eleemosynas pro missis celebrandis, sæpe suadet Pœnitentibus, medium tutius ad consequendam æternam salutem esse dationem eleemosynarum pro celebrandis Missis in suffragium animarum Purgatorii. Q. an recte agat, vel sit reprehendendus.

Respondeo. Capellanum esse reprehendendum. Primo, quia falsum dicit; licet enim ratio eleemosynæ pro Missis celebrandis in suffragium Animarum Purgatorii sit medium valde utile ad salutem consequendam, cum sit opus charitatis, & misericordiae, & consequenter opus meritorium, si concurrent circumstantiæ ad meritum requisitæ, ut docent DD. agentes de eleemosyna; attamen non est medium tutius, ita ut præferendum sit observantia mandatorum Dei. Tertius enim est ad salutem consequendam mandata servare, quam ex liberalitate eleemosynas impetrari, cum dixerit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Secundo est reprehendendus, quia ex circumstantiis casus, cum raras habeat eleemosynas, satis aperte colligitur talem eleemosynarum suasionem, & quidem frequenter non procedere ex pura charitate erga Animas Purgatorii, sed potius ex motivo cupiditatis, & avaritiae, à qua quam maxime abhorrente debent Clerici juxta sacros Canones. Hinc S. Carolus in institutionibus, quas habet in ordine ad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ exprobrat pœnitentias Missarum celebrandarum à Confessario impositas, cum facile valeant avaritiæ suspicione generare. Similiter in ultima Synodo Dœcesana de Sacramento Pœnitentiæ habetur: *Sint cauti Confessarii in imponendis pœnitentiis pecuniariis, ne venalis Sacramenti suspicio nascatur.* Dicendum ergo esse reprehendendum.

CAS. III. Confessarius simplex ex incuria circa suum ministerium non advertens expirasse tempus potestatis sibi concessæ ad excipiendas Confessiones Sacramentales, per duos menses plures exceperit. Q. an ullam incurrit pœnam Ecclesiasticam.

Respondeo. Nullam pœnam Ecclesiasticam incurrisse. Ratio est, quia non est in jure communi, neque in Synodo Dœcesana expressa aliqua pœna Ecclesiastica contra Sacerdotes audientes Confessiones sine jurisdictione, & approbatione sui Ordinarii, consequenter neque erit contra Confessarium, de quo in casu. Est tamen certum, quod potest graviter Episcopus punire Sacerdotem audientem Confessiones sine jurisdictione, & approbatione ab ipso reportata, ut testatur Pignat. tom. 6. cons. 1. q. 4. dicens transgressor esse castigandum arbitrarie ab Ordinario, sieque posset graviter etiam punire Confessarium in casu, si ei constat de incuria graviter culpabili.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. **S**acerdos pulsabat citharam, vel aliud instrumentum alliciens ad choreas ducendas in domo cuiusdam amici, quod dum auditent juvenes, & puellæ vicinæ convenerunt ad instituendas varias saltationes, & iste, tum precibus, tum oblatione munerum victus, pulsationem prosecutus est usque ad finem noctis. Q. an peccaverit, & ullam censuram incurrit.

Respondeo. Sacerdotem in casu peccasse mortaliter, & pœnam suspensionis ipso facto incurrisse. Ratio primæ part. est, quia licet pulsare citharam in domo cuiusdam amici non sit peccatum, in Sacerdote tamen pulsare citharam ad instituendas saltationes juvenes inter & puellas, à gravi peccato non potest excusari. Etenim cum sit prohibitum Clericis choreis interesse, & quidem sub gravi, ut colligitur ex Trid. sess. 21. cap. 1. ubi statuit Sancta Synodus, ut quæ alias à Summis Pontificibus, & Sacris Concil. de Clericorum vita, & honestate retinenda, de luxu, choreis, &c. sancta sunt, in posterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis observentur, sequitur à fortiori, prohibitum esse Clericis choreis interesse citharizando, cum sic idem sit choreas tot malorum origines procurare, & promovere. Si autem est prohibitum, & quidem sub gravi, ut patet ex sensu verborum Tridentini, jam graviter deliquit noster Sacerdos, cum fecerit contra prohibitionem sub gravi obligatiem. Neque dicatur per accidens juvenes, & puellas ad saltationes instituendas accessisse, per quod videtur à peccato excusandus noster Sacerdos. Cont. est. Do per accidens accessisse, attamen statim ac Sacerdos advertit ad chorearum institutionem, debebat citharæ pulsationi finem imponere, non vero precibus, & munerum oblatione flecti ad annuendum juvenum, & puellarum votis de choreis instituendis, reclamante conscientia, per quod magis appareat Sacerdotis grave peccatum.

Ratio secundæ partis aperte constat ex Synodo Dœcesana, lib. 3. de vita, & honestate Cleric. cap. 1. ubi habentur: *Musicæ instrumenta in choreis pulsare nec audeant sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda.* Quare si hujus pœnæ notitia non caruit Sacerdos, illam incurrit.

CAS. II. Diaconus vocatus à Parocho in die Purificationis B. M. ad obeundum munus suum, renuit obedire; unde cum populi admiratione omititur cantus Missæ cum Ministris. Q. an graviter, & in qua specie peccati deliquerit.

Respondeo. Graviter peccasse Diaconum saltem peccato scandali, & inobedientiæ. Ratio est, quia cum Clerici aliquando teneantur exercere actus Ordinis suscepti, ut omnes DD. una voce fatentur; sequitur specialem obligationem exercendi actum. Diaconatus habuisse Diaconum nostrum vocatum in die Purificationis ad munus suum obeundum; cum ex una parte tunc nullus alter adesset, qui tale munus posset præstare, ut colligitur ex terminis casus, & ex alia parte omnia jam essent parata propter Missæ cantum de more. Si autem, attenta tali circumstantia, habuit specialem obligationem exercendi munus suum, sequitur ipsum peccasse, cum à Parocho vocatus, officium suum præstare renuerit; & quia tale peccatum ex natura sua præbuit occasionem Parochianis male judicandi de Ecclesiasticis, & detrahendi de personis Deo dicatis, & parvi, immo nihil pendendi functiones Ecclesiæ, & Sacras Cæremonias, sequitur etiam peccasse graviter, & quidem peccato scandali, ut patet, & inobedientiæ, cum Parochus sit Pastor, & superior. Dixi saltem, quia secundum diversas circumstantias, quæ in facto possent occurtere, posset esse etiam alterius peccati reus.

CAS. III. Dum duo Tonsura initiati luderent aleis, jurgium ex fraudibus in-

vicem in ludo parratis , inter se excitarunt , & se percuserunt , non adver-
tentes poenam censuræ , quam incurrebant . Q. an revera illam incurretint .

Respondeo . Cum distinctione (prius tamen supponendo illos tonsura ini-
tiatos esse puberes , consequenter non exemptos à poena excommunicationis ,
ut sunt impuberis per cap . 1. & 2. de delictis puerorum) vel percussio talis
fuit , ut fuerit peccatum mortale , tum interne , tum externe ; vel non : si non ,
censuram non incurerunt , quia excommunicationis , cum sit poena gravis ,
grave peccatum supponit ; & cum sit poena Ecclesiastica , supponit pecca-
tum externe grave , cum peccata mere interna soli Deo punienda relinquantur ;
si vero peccatum fuit mortale , tum externe , tum interne , iterum
distinguo : vel non advertentia fuit vincibilis , vel invincibilis ; si invinci-
bilis , quatenus antecedenter nullam habuerint advertentiam ad statum Cle-
ricalem , vel nullum subortum fuerit dubium tempore rixæ , tunc censuram
non incurerunt ; quia ut testantur Sanchez , & Suarez , quæ dicuntur de
ignorantia excusante à peccato , & à poena , valent etiam de inadverte-
ntia , & obliuione ; unde si ignorantia invincibilis excusat , ita & inadver-
tentia invincibilis , cum qua non stat contumacia ; si vero inadver-
tentia vincibilis , excommunicationem incurerunt propter oppositam ra-
tionem .

MENSE MARTII.

CAS.I. CUM quidam Concionator in omnibus Ecclesiis , ad quas missus
fuerat in Montanis , ardore magno semper prædicaret Jeju-
nium ; Parochus , apud quem sumere debebat refectionem , præparavit ipsi
pro prandio solam polentiam ex farina castanearum confectam , dicens , nul-
lum alium esse cibum in Montanis ; unde Concionator sequenti die , ne-
dum desit consuetam concionem facere , sed & laxavit habenas , dicen-
do , Montium incolas ad nullum Jejunium teneri . Q. an sit laudandus Pa-
rochus , & condemnandus Concionator .

Respondeo . Parochum laudandum , Concionatorem reprehendendum . Ra-
tio primæ partis est , quia , stando terminis casus , Parochus pure ex joco ita
se gessit cum Concionatore , ut hic practice cognita qualitate ciborum ,
quibus communiter vescuntur habitantes in Montanis , populum suum mi-
serum , & sola polenta ex necessitate contentum , solita rigida concione
jejunii scrupulis non augeret ; si autem ex joco ita se gessit , & ut sic con-
suleret quieti suæ Parochiæ , quis non videt esse potius laudandum ? Ratio
secundæ partis est , quia Concionator generaliter asserendo Montium inco-
las ad nullum jejunium teneri , falsum docuit ; etenim licet Montium inco-
la , qui unice castanearum polenta vescuntur , non teneantur ad jejunium ,
sicuti non tenentur , ut docet Tambur . cum aliis , qui unice pane , & aqua ,
vel etiam vino vescuntur , cum tales sufficiens prandium habere non vi-
deantur , quod à fortiori videtur militare de sola polenta , quæ quidem ci-
bus est satiativus , sed experientia parum nutritivus ; tamen dantur aliqui
in Montanis , qui cum unice polenta non sint contenti , sed aliis cibis ves-
cantur , certe à lege jejunii non eximuntur . Reprehendendus est ergo Con-
cionator , quia sic generaliter loquendo , falsum dixit .

CAS.

CAS. II. Fures , nocte præcedenti diem Festum furati sunt à Sacratio om-
nia Indumenta sacra , præter illa coloris nigri . Q. an Parochus , mane sequen-
ti ad satisfaciendum votis Populi possit illis uti , immo teneatur .

Respondeo . Præmissa narratione furti , ad tollendam admirationem in
populo , & data impossibilitate habendi Vestes , die festo secundum Rubri-
cas proportionatas , posse , & teneri celebrare . Ratio primæ partis est , quia
ex una parte quoad colotes paramentorum , non appetit latum esse grave
præceptum , teste Suarez de Sacr . & Homob . de exam . Eccl . p . 1 . q . 144 .
quod si in Missali certi colores pro certis temporibus statuuntur , est solum
regula directiva ; ex alia parte adest rationabilis causa , quæ est obligatio sa-
tisfaciendi præcepto in ordine ad Sacrum , tum in Parocho , tum in po-
pulo , quæ causa sufficit , ne Parochus etiam venialiter peccet , ut pecca-
ret rationabili causa non existente , cum faceret contra Rubricas ratione
magnæ convenientiæ receptas , & per ipsum bonus ordo turbaretur . Ita Ga-
vant . Diana . Tambur . Ratio secundæ partis est , quia si rationabili existen-
te causa , nec venialiter Parochus peccaret tali utendo paramento , jam
urget præceptum audiendi Sacrum : si urget , non est cur Parochus non
teneatur cum talibus paramentis Missam celebrare pro præcepti adim-
pletione .

CAS. III. Ceciderat ex rupe Saba , cum esset ebriosus : vocatur Confes-
sarius ad eum sensibus destitutum , & creditum proxime moriturum , ab-
solvendum . Q. an , si iste illum intelligat ebrium , possit eum absolu-
vere .

Respondeo . Cum distinctione , vel Parochus est moraliter certus , quod
Saba , qui est sensibus destitutus , & titulo ebrietatis rationis impos- , è
rupe ceciderit in peccato , puta quia solitus fuerit se inebriare , & plu-
ries correptus noluit emendari , & tunc dico neque sub conditione esse ab-
solvendum , eo quia Saba nullo modo potest prudenter præsumi attritus , &
sine attritione saltem præsumpta nullo modo impendi potest absolutio . Ita
communiter teste Tambur . qui tamen quasi oppositum sentit . Vel non est
moraliter certus quod Saba ceciderit in statu peccati , eo quia , cum chris-
tiane vixerit , nec ebrietatis vitio fuerit devictus , præsumi potest non cul-
pabiliter se inebriasse , sed per accidens , tunc secundum benigniorem
sententiam recentiorum ex præsumpta attritione , posita conditione si es
capax : dico posse absolviri .

MENSE APRILIS.

CAS.I. IN Breve Sacrae Pœnitentiariæ committitur Viro discreto , vel sup-
plicanti Confessario , facultas dispensandi super impedimento af-
finitatis , orto ex copula cum Matre mulieris ducendæ , at dum Comini-
sarius exequitur commissionem , detegit copulam fuisse cum Sorore , & ex
errore Scribentis fuisse supplicatum pro dispensatione super impedimen-
to orto ex copula cum Matre . Q. an possit exequi Breve , vel aliud debeat
procurari .

Respondeo . Posse exequi . Ratio est , quia licet ad valorem dispensationis ex-
pri-

B

primi debeat, an affinitas sit in linea transversali, ut docent Sanchez, De Just. & Reinf, eo quia vel non datur dispensatio in linea recta affinitatis ex copula licita, vel ducere affinem in linea recta indecentius sit, quam in linea transversali: Quando tamen affinitas oritur ex copula illicita, non est necessaria expressio linea recta, vel transversalis; cum ex copula illicita non oriatur major notabiliter reverentiæ obligatio ex linea recta, quam ex transversa, ut docent citat. DD. sed in casu affinitas orta est ex copula illicita: ergo non fuit necessaria expressio linea; si autem hæc expressio non fuit necessaria, sequitur expressionem unius linea pro alia non vitiare dispensationem: cum sic vitium non sit circa necessario in supplicatione exprimenda. Reinf. tom. 4. p. 181. num. 198.

CAS. II. Drusilla sciens, Maritum suum coitum habere frequentem cum Belluis, vellet ab eo separari; unde consultit Confessarium, an sibi liceat procurare divortium. Q. quid iste debeat illi respondere.

Respondeo. Pro veritate debere respondere Drusillæ ei licere procurare divortium, quoad thorum, & habitationem. Ratio est, quia etiam per copulam bestialem, & bestialitatem, sive activam, sive passivam caro dividitur in aliam carnem contra Matrimonii fidem, exigentem ut sint duo in carne una. Ita Sanchez, Pont. Covar. Girib. Duxi pro veritate, quia Confessarius debet mulierem hortari, ne divortium procuret, propter inconvenientia, quæ inde sequuntur.

CAS. III. Syrus novit, Uxorem suam fuisse vi, & dolo corruptam à Pasquali, unde minis ab hoc exigit premium adulterii. Q. an Pasqualis in conscientia teneatur hoc dare.

Respondeo. Non teneri. Ratio est, quia injuria irrogata Marito, non est pecuniae restitutione comparabilis, sed solum satisfactione exhibenda per signa doloris, & per venie petitionem, ita exigente Marito, secus non exigente, cum talis satisfactio potius pudorem, & verecundiam afferret Marito, unde nihil solvere tenetur Marito, maxime cum hoc in jure reprobatur, ne Maritus videatur suæ Uxori lenocinium facere. Les. Lug. Girib. de rest. tract. 2. dub. 8.

M E N S E · M A I I .

CAS. I. Parochus in Diœcesi sciens, Parochianum suum largiri quotannis eleemosynam pingue Templo B. M. dicto de S. Luca, propriæ vero Ecclesiæ nil fere conferre, ipsum acriter objurgat, dicens, ejus obligationem esse erga istam, non erga illud. Q. an ullam patraverit culpam, & in qua specie, si patravit.

Respondeo. Generaliter loquendo, & præscindendo à particularibus circumstantijs, cum sermo sit de eleemosyna libera, ut patet, cum sit de eleemosyna pingui, peccare Parochum. Ratio est, quia Parochus noster acriter objurgando Parochianum, absque causa illum offendit; etenim talem eleemosynam elargiendo Templo B. V. dicto de S. Luca, nulli facere injuriam, sed ex mera devotione hoc ageret, maxime cum etiam Ecclesiæ Parochiali aliquam, licet tenuem, faceret eleemosynam, ut colligitur ex illius

ver-

verbis propriæ Ecclesiæ nil fere conferre; si autem nulli faceret injuriam, clare constat non esse objurgatione dignum, siveque Parochum illum acriter objurgando male agere, & peccare. Hoc peccatum esset contra justitiam, ut patet; esset contra mansuetudinem, cum sit Parochus; alias etiam specie malitias habere posset juxta diversum objurgandi finem, cum finis specifet actum.

CAS. II. Sacerdos nullam fere præparationem Sacro præmittens, ut plurimum hoc distracte celebrat, & raro habet intentionem actualem consecrandi. Q. an lethaliter aliquando peccet.

Respondeo. Nullam Sacro præparationem præmittendo, cujus nomine orationes juxta rubricam Missalis intelliguntur, per se loquendo non peccare graviter, eo quia illa verba pro temporis opportunitate, quæ habentur in rubrica, satis denotant nullum adesse præceptum illas preces recitandi, ut not. Girib. & Tamb. de Sacrificio Missæ; si autem non est præceptum, neque est peccatum. Duxi per se loquendo, quia si ex omissione talis præparationis per accidens sequatur distractio in celebratione, ut colligitur ex terminis casus, tunc posset graviter peccare, si distractio esset notabilis, eo quia nolens se præparare, sciens ex tali omissione oriri notabilem distractionem in celebratione Sacrificii, idem esset ac velle talem notabilem distractionem in causa, quod est velle peccatum; Etenim si in Missa notabilis distractio actualiter voluntaria in Canone, vel consecratione, aut sumptuose, est peccatum grave: ut DD. asserunt cum Tambur. tum propter magnam irreverentiam in Sacrificio, quo quis profitetur Deum esse summe venerandum, tum propter periculum errandi, quod practice vix abfuerit; ita erit peccatum grave talis notabilis distractio voluntaria solum in causa. Quod tamen non militat de intentione actuali, cum ad Eucharistiam valide, & licite conficiendam sufficiat, juxta communissimam, intentio mere virtutialis, qua sane etiam deficiente, nedum graviter peccaret, sed nec Eucharistiam conficeret.

CAS. III. Parentes cuiusdam Viduæ clausam eam tenent in domo, & aliquando eam verberant, ut desistat à proposito ducendi in Maritum Juvenem pauperem, & conditionis sapientis infamiam. Q. an possint excusari à gravi.

Respondeo. Posse excusari. Ratio est, quia ex una parte cum non possit sine peccato filia contrahere cum infami ex cuius matrimonio sequitur familie dedecus, & ad dedecus consequuntur scandala, & discordiæ, ita Parentes illud possunt impedire, absque violatione libertatis Matrimonii: cum filii liberi tantum sint ad contrahendum sine peccato, ut expresse docet Layman de spons. tract. 10. p. 1. cap. 2. & ex alia p. cum parentes habeant naturalem potestatem, & jus moderatis coercitionibus filios corrigendi, etiam in vinculis privativi detinendo, & moderate verberando, ut sentit cum D. Thom. Leand. in 4. præcept. Decal. disp. 7. q. 6. & 7. satis infertur: posse etiam tenere clausam filiam in domo, & aliquando moderate verberare, ne peccet sic contrahendo. Neque obstat filiam esse Viduam, quia si potest taliter coercendi extenditur ad filios emancipatos, & hoc jure sanguinis, ut testatur Bossius innumerous allegans DD., etiam extenditur ad filiam

B 2

li-

lacet Viduam, quæ parentibus subjecta supponitur. Melius tamen agerent Parentes Judicis auctoritatem implorando; cum difficile sit, agendo de verberibus, moderate se gerere erga filiam, tum attenta qualitate sexus, tum attenta parentum indignatione.

M E N S E J U N I I .

CAS. I. A Rchipresbyter, propter expensas factas in Visitatione sui Ordinarii, voluit à Parochis sui Plebanatus, titulo majoris incommodi á se passi, plusquam justa taxa permitteret. Q. an possit retinere quod obtinuit.

Respondeo: Non posse retinere. Tum quia illud majus incommodum est onus annexum oneri Archipresbyteratus; unde illud de jure pati tenetur, tum quia ex terminis casus habeatur, quod taxa fuerit justa, & quod aliquid voluit supra justam taxam. Hoc dato clare constat, illud plus esse injuste volatum, & retentum, cum omne volutum supra justum, sit injustum; injuste autem volutum nequit juste retineri.

CAS. II. Unus ex dictis Parochis obligavit suos Parochianos sibi aliquod contribuere pro præfatis expensis. Q. an licite.

Respondeo. Illicite se gessisse. Ratio deducitur ex Barbos. de offic. & post. Episc. alleg. 73. referente Decretum S. C. in quo habetur, si esset consuetudo, ut *Communitates procurarent Episcopum visitantem, servanda est, quādiu voluerint, ipsæ tamen cogendæ non sunt, si recusent.* Ex quibus verbis inferitur, si illicite agerent Parochi obligando Laicos ad ministranda victualia Episcopo visitanti, si adasset ministrandi consuetudo, multo magis illicite ageret Parochus, ubi talis consuetudo non est.

CAS. III. Alter ex eisdem dixit pluribus, & in Diœcesi, & in civitate, quemdam ex Convisitatoribus deputatis fuisse nimis rigidum, scrupulosum, & malo animo affectum contra se in Decretis conditis, licet revera decreverit solum, quod ejus officium, & necessitas Parœciæ postulabat. Q. an graviter peccaverit, & sit obligandus ad canendam palinodiam, seu se retractandum.

Respondeo primo. Parochum dicendo quemdam ex convisitatoribus fuisse nimis rigidum, & scrupulosum non peccare graviter, quia sic potius laudat, quam offendat Convisitatorem; cum talia verba apud homines communiter idem sonent, ac esse attentum, & delicatae conscientiae. Respondeo secundo. Parochum addendo Convisitatorem esse male affectum contra se in Decretis conditis, graviter peccare. Ratio est, quia idem est, ac dicere fuisse injustum, & ex odio injusta edidisse Decreta, quod est famam proximi denigrare, tum ratione injustitiae appositæ, dum decreverit solum ea, quæ Parœciæ necessitas postulabat, ut ex terminis casus, tum attenta dignitate personæ, morum integritate, & doctrina præstantis, utpote in partem ardui negotii pastoralis Visitationis ab Ordinario delectæ; quod maxime in detractione attendendum est, cum sæpe detractio levis in se, gravis evadat attenta personæ qualitate, ut ex Less. Andreas à Mat. Dei. Respondeo tertio: Obligandum esse ad se retractandum, cum hæc sit detractionis obligatio.

MEN-

M E N S E J U L I I .

CAS.I. D istulit Agricola contra voluntatem Domini metere triticum: in tera cecidit grando, quæ totam fere devoravit messem. Q. ad quam compensationem Agricola sit obligandus.

Respondeo cum distinctione: Vel Agricola fuit in mora theologicæ culpabilis, sufficiente ad grave peccatum, vel non. Si primum, obligandus est Agricola ad compensandum damnum ad ratam partis speratæ messis, arbitrio viri prudentis, & periti, quia fuit vera causa damni. Ita communiter. Si non fuit in mora culpabilis, quatenus triticum nondum esset aptum ad messem, vel quia impotens esset ad habendos operarios, & similia, & sic ad nihil est obligandus Agricola, quia damnum mere ex accidenti evenit, & Domini imperium de tritico metendo erat irrationalis; ad damnum autem mere causuale neminem teneri, est sententia communis.

CAS. II. Callixtus egens mille libris, censem constituit super prædium reddere solitum triginta dumtaxat annuas, & obligat se ad dandum quotannis alias decem, vel viginti, quas eruet ex industria sua. Q. an iste contractus sit illicitus.

Respondeo esse illicitum. Ratio est, quia ille contractus est illicitus, in quo committitur usura, sed in præfato contractu ita est; etenim census iste saltem partialiter fundatur super personam, considerando industriam, ut fructum personæ, census autem fundatus supra personam sceneratius est, ut constat ex Bulla Pii V. *Cum onus apostolicæ servitutis, quæ sceneratios judicat census non fundatos supra rem immobilem; cujusmodi sane non est persona.*

CAS. III. Mutuaverat Proculus Floriano centum aureos, & accepit ab eodem in pignus prædiunculum, ex quo mutuarius nullum capiebat fructum; ac mutuans ira coluit, ut non paucos perciperet. Q. an iste, deductis expensis, & labore, debit illos in sortem sibi debitam computare.

Respondeo. Fructus prædiunculi debere computare in sortem sibi debitam: sunt enim fructus naturales agri, qui detractis expensis, pertinent ad Dominum agri, qui in casu est Florianus mutuarius, qui unice prædiunculum tradidit in pignus Proculo ob sui crediti securitatem, non alia ratione. Ita communiter. Cont. Sotum.

M E N S E A U G U S T I .

CAS.I. C apellanus cuiusdam Oratorii jussus á Patrono procuravit tempore Visitationis commodari sibi varia indumenta sacra ab aliis, ne Visitatores conderent aliquod Decretum indecorum Patrono. Q. an, & cuiusnam criminis reus sit Capellanus?

Respondeo. Peccasse primo contra justitiam, quia, cum Patronus Oratorii, in quo fieri debet Sacrum, teneatur ex justitia providere indumenta sacra apta, & decentia ad Sacrum faciendum, ut ex Barbos. & Diana, & illa non providerit, cum vestes Oratorii supponantur auritæ, ut colligitur ex mandato Patroni, & ex timore Capellani, ne Visitatores conderent aliquod de-

cre-